DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA:

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS X. DECEMBRIS.

M. CYPRIANO HVBAVT, Doctore Medico, moderatore.

919

Eſt-ne ſeptenarius vi propria criticus?

CRISIS eſt alteratio corporis ſecundùm naturam communem omnibus, & cuique propriam, quam ſequitur excretio præceps humoris morbifici. Alteratio principium eſt & omnium ſublunarium mutationum cauſa, cuius in homine terminus eſt ipſa temperies partiumque moles; alterationum princeps & cæterarum effectrix, tempeſtatum in aſymbolas commutatione perficitur tertiæ tempeſtatis, & ſeptimi menſis initio, quia verſatur inter vtrumque par qualitatum primarum mutationes alias omnes inuoluit. Septimi menſis initio criſes, non ſeptem menſium vi, quæ vix vlla, ſed tertiæ tempeſtatis impetu validiſſimè concutientis quæ contrariâ tempeſtate producta viguerunt. Tempeſtas quæuis ægros facit qui contrariâ fruebantur inculpatâ ſanitate, ægros perfectæ ſanitati reſtituit, aut in aliam naturam mutat; Propter inſignem perturbationem quâ purgatio deorsùm prohibetur, veluti diebus criticis, & exacerbationum principiis, purgandum ſolo vomitu decem diebus ante vel poſt mutationem tempeſtatis, quibus incidit octoginta vel centum dierum critica periodus. Hinc minimarum periodorum criſes, rigor, ſudor, hæmorragia, dyſenteria, icterus, abceſſus. Variæ ſymptomatum, morborum, febrium naturæ, diurnæ, nocturnæ, aſſiduæ, hæmitritææ, quartanæ, inæquales, æquabiles, accreſcentes, decreſcentes, mites ſpecie tenus, ferociùs ingruentes iudicatæ fœliciter, recidiuæ reliquiis, præexcretione, præeruptione ὥσπερ αἱ ὥραι οὕτω νοσοποιέουσι, ſpeciem morbi viribus actiuis, paſſiuis, ſpeciem criſis efficiunt. Annus morborum periodum continet, tempeſtates naturæ legi contrariæ non ſanant morbos à ſuis aſymbolis productos, ſed eos fouent aut cum deterioribus commutant, acutos verò iudicatione difficiles, inconſtantes, paribus exacerbatos, vel tertianos in pares mutatos producunt. Alienæ dierum periodi, fiunt ab alienis tempeſtatum periodis, quum tertia tempeſtas non mouet morbos, neque tertia dierum vel annorum periodus. Non numerantur integri neque dies neque anni. Morbi mouentur initiis & nexibus periodorum quibus inuicem commutantur, vigetque contrarietas aut ſimilitudo, οἱ πόνοι ἐν περιόδοισι, ità & criſes, particulâ quâ viget exacerbatio, totius vim continet, occaſio dicitur.

NATVRA communis temporum viciſſitudine, qualitates primas, & humores producit, loco mouet, minuit, auget, alterat, miſcet, ex horum mole viuentium partes, ex viribus naturas & temperamenta conſtituit. ταῦτα δὲ ἐστι φύσις τοῦ σώματος ἀνθρώπου: eademque origo eſt ſtructuræ varietatis, generationis, criſeων, ſanitatis & morbi: vitæ functiones omnes promit, operatur, impulſu cæli quo producitur. Humores & inferiores naturæ periodis illis agi conſuetæ, aſſuetudine in naturam versâ ſe ipſas conſtanti periodo mouent, vt mouentur à cauſis vniuerſalibus, ſerò mouentur aſcarides, non quod moueri ſe merè patiantur, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ διὰ σφᾶς ἑωυτάς, ſe ipſas agitant periodo autumno analogâ, quâ produci ſolent: nihil fit quin ſui ipſius fabricam quodammodo iuuet: bilis æſtate ambientis vi produci & ſe ipſam mouere ſolita, hactenus propria vi plus minuſue ſe mouet, vt mouetur & augetur minoribus periodis æſtati analogis puta interdiu, quotidie, tertio quoque die & pleniluniis: tenuis & multa quotidie mouetur interdiu, vt pote qualitatibus & copiâ naturæ grauis, vi minimæ periodi poteſt agitari, quotidianam parit: ſi copioſiſſima continuam tertianam: ex accenſo phlegmate genita vrit acriùs & hæmitritæum parit: tenuis & pauca breui diſcutitur, pauca rariùs mouetur nec quotidie, ſed maiori periodo tertiana mera: pauca partibus æquis craſſo phlegmati permixta notham tertianam parit: multa quotidianam notham, diuturnam, erraticam, in quartanam degenerantem, reſolutione bilis tenuioris: pauca ſincera raris & imparibus periodis mouetur: exiguâ copiâ phlegmati vel ſucco melancholico permixta ſequitur illorum typum quartanum, deficientibus adiiciendis opportunum. Humor ſiccitate vel concretione contumax non mouetur, niſi tenuiorum & calidiorum commixtione, coelixatione diluatur, ſingulorum dominij decurſu, periodo, anno analoga quæ dicitur Ephodus, propter omnium coalitum, hinc annua totius morbi periodus ὁ πρόσω ἐνιαυτοῦ τεταρταῖος, ideo quartus dies primus eſt paribus exacerbatorum criticus, & ephodus prima quæ coctionem fideliter indicat, ſecretione nondum factâ ſalutariter vix vnquam iudicat, aliæ ſimul indicant, & iudicant imparium vi.

TOTI cuiuis heterogeneo conceſſum vt eius minima pars totius vires contineat, annus perfectiſſima periodus & hæterogenea, proinde quilibet menſis, dies, & ephodus totius anni vires compendio coercet. Sic partes tempeſtatibus analogæ: non eſt par omnibus vigor, quæ firmis conſtituta ſunt principiis vix emoueri poſſunt, imbecilla minima vi corruunt; τὸ θεῖον periodis inæqualibus, & efficiendi vi imparibus omnia generat, interimit, immutat, & criſes molitur putà triplici periodo dierum, tempeſtatum & annorum, vt vis motiua ſingulorum mobilitati reſpondeat, mobiliſſima non minùs agitantur minimæ virtutis impulſu, quàm δυσκίνητα maximâ potentiſſimáque periodo: acutiſſimi morbi celerrimè finiuntur, chronici maximis periodis vix definiunt. Contrariorum ſucceſſionis reciprocæ dominio etiam minimæ periodi cuiuſque reſpectu continent vtilia multa, multa aduerſa: ex vtilibus ſanitates, ex contrariis morbi fiunt & mortes. Prima dies eſt verè critica, numeratur à partu violento, & abortu, velut à tromate, ἡμέρη περίοδον ἔχει τῆς νόσου, primus inſultus naturam morbi denuntiat, niſi vi fuerit excitatus, & ante proprium tempus, cauſæ morbificæ conditiones, & motum detegit, vnde ſanitatem, tempus, & celeritatem cum ſpecie criſis prænuntiat, ſi non actu virtute ſaltem calida eſt, vi cauſarum euidentium bilem mouentium. Λευθμῶν τρίτη ἰσχυροτάτη, tertia dies aſymbolæ tempeſtati analoga, mouere, detrahere, potentiſſima, dierum criticæ facultatis, vt imparitatis menſura, abortus à tromate iudicat; eſt excretionum periodus, vt ortus & interitus, vix vlla criſis niſi ternariis & imparibus, quibus alimenta natura duce minuere decet, vt paribus augenda; ex ingeſtis prima die quatuor humores ſingulis quadris in cauitatibus perficiuntur, altera die diſtributis ſingulæ partes ſuis quadris vigentibus potiuntur, excernendorum tertia die facta ſecretione. Segregationum coctio fit altera die, recrementa tertiâ vacuantur. Conuulſio febrem ſoluit ante diem tertium non vltrà, nec conuulſionem febris. Trias eſt minima periodus purgationis muliebris, primæ conformationis, fœtuum conceptionis, effluxuum, animarum infuſionis, & hominum generationis: maxima periodus eſt triplici triade ſeptenarius, vltra quem non extenduntur apyrexiæ recidiuarum, nec febres à partu, vel inflammationes à tromate, niſi propagatione funeſtiſſima. Septenariorum trias vicenarium conſtituit, acutorum morborum terminum. Trias altera ſolis ſeptenariis ad teſſaracontada progreditur, vt exoluenda dierum vis ad triadem teſſaracontadων ſolis vicenariis extendatur. Trias decadων hebdomadων trium partus humani terminorum medius. Triplex ſeptenariorum trias continet annum climactericum futuræ mortis indicem. Morbi ter recidunt, ileus annorum ternariis recurrit, tertia recidiua iugulat.

EADEM eſt naturalis cauſa motus, quietis, & mediorum quibus ad quietem progreditur, opportunæ tempeſtates ſunt naturales cauſæ motus, ſeu generationis morborum ſingulis familiarium, ſanitas eſt à morbo quies, criſis eſt medium quo fit ad ſanitatem progreſſus, ideo tempeſtates eædem dierum tamen periodis diſtinctæ, morborum ſibi familiarium, ſanitatis & criſis cauſæ ſunt effectrices. Hi morbi fiunt & ſanantur, vt vno ſimplicique motu generantur & intereunt animalia. Motus omnis licet vnius efficientis aut à ſimili, actionis aſſiduitate fit à contrariis in contraria; à diaſtole ad ſyſtolem, à tractione ad expulſionem, à ſanitate ad morbum & contra, ſi ferant ſubiecti vires; robuſti ſanantur exceſſibus quibus ægrotant, eadem neceſſitate febris ingruit & deſinit; vtraque natura, vt ars diætetica repletionem molitur & vacuationem, replet vt exhauriat, quæuis tempeſtas proprio ſucco replet & exhaurit. Hinc nullus affectus naturæ conſentiens lethalis, ne cauſus quidem, & morbi tempeſtatibus opportunis familiares, ſola ſeruata victus lege contraria, quam tempeſtas indicat, ab eadem facile iudicantur. In arte facta criſi, per diarrhæam catharticum calore commouet, meatus reſerat, auget humorem ſimilitudine, vt eius concitatione natura opprimatur illico, niſi ſui diligens ſeditioſis ſe continuò expediat: vt idem catharticum criticam perturbationem moueat, meatus reſeret, acuat humoris vires, augeat illius molem, criſim perficiat, hominem denique continuato motu priſtinæ ſanitati reſtituat. Febrium initiis & paroxyſmorum, velut æſtuante Sirio, ſuperiora corporis dominatu bilis tenentur, vnde calefactæ carnes hauſta pharmaca rapiunt & inſigni motu cum pharmaco cæteri humores in bilem tranſeunt, impurgatum mox enecaturi, niſi virium robore ſubſiſtat æger impurgatus ad veſperam hypercatharſi perimendus. Hydrops ex aquæ ſtagnantis ſuppreſſæ bileſcentis potu diarrhæâ ſoluitur, quam committit hauſtus eiuſdem liberalior. Critici dies ſanant ſimilibus: æſtas cauſum, ſunt primo ſimiles qualitatibus, humoriſque morbifici propagatione & dominio, cuius impetu natura obrueretur, niſi præuio dominatu ſuccorum familiarium coctione & appoſitione inſtaurata, ductibuſque reſeratis, attenuatos humores & coelixatione permixtos faciliùs excluderet; impar alioquin continuis conflictibus cacopathiæ duplici ſuſtinendæ: vnde ex imparium dierum perturbatione, paribus coctioni dicatis & appoſitioni iactata κατὰ τὴν βίαιον ἀλλοίωσιν, nec impulſu, τοῦ θείου, fit infauſta criſis, aut infida, quam breui recidiua morbo deterior excipit, morbificis humoribus inſtauratis propria periodo, noxaque maior pridie γονιμωτάτου, quo natura refici debet lautiori nutricatu: ita Senarij Tyrannis, & octimeſtris partus, ſextæ teſſaracontadis inertiâ, calamitas. In perturbatione critica ſolis viribus conſulendum temperatis, ne contrariorum liberalior vſus infringat naturæ impulſum, meatus anguſtet, humores incraſſet, vnde mors aut acriſia. A tertio ad ſeptimum μελετᾶν δεῖ ὅκως ἥκιστα φλεγμαίνῃ τὸ ἕλκος καὶ μάλιστα συνιῇ temperatis vtrunque perficitur.

ARTIVM plures operum peritiſſimæ proprium neſciunt exemplar, ars medica operum rationes, & vniuerſi naturam proprium nouit exemplar. Hæc morbis incipientibus, & acutis, dum ferunt vires, liberali detractione citò medetur, ideóque ſimilibus, quorum ope naturalis eſt omnis eductio, à congenere nuſquam vis infertur: θερμημερίαι educunt bilem rigore vel ſudore, hæ primæ febrium criſes, pororum & materiæ meabilitate firmiſque viribus, ſin minus poſtremis criſibus diarrhæa & abſceſſu ſoluuntur eædem febres, ſi primæ deeſt aut alterius opportunitas, ordine poſteriores intenduntur. Acutorum critica vis à quadrageſimo die fatiſcit imminuta ſimilitudine tempeſtatis, medietate ſui curſus in contrariam properantis. Eadem chronicos affectus, iam fractis viribus, epicraſi tutiore, ſed lentâ, propter additionis difficultatem & duplex opus, ſanat προσθέσει τῶν ἐλλειπόντων καὶ ἀφαιρέσει τῶν ὑπερβαλλόντων, aſymbolarum tempeſtatum viribus cauſæ morbi contrariis aſſequitur additionem deficientium, & imminutionem ſuperfluentium, vt eos producit deficientium detractione, & additione ſuperfluentium. Æſtate pituitam totamque corporis ſubſtantiam minuit excretionum copiâ, & neceſſitate. Hyems auget & coctionum perfectione roborat. Affectus æſtiui biliosi ſanantur criſi, hyemales & pituitoſi coctione criſi contraria. Hinc nocturnæ criſes rariores, periculoſiores, Humor copiâ morbificus niſi reddatur mediocritati contrariæ tempeſtatis decurſu, corrumpitur; ſicque perennat morbus plerumque malignior, quouſque ſimilis humoris & qualitatum dominantium recurſu redit in gratiam cum natura, vel aucta cacochymia interimit. Ενιαυτὸς μετέχει πᾶσι πάντων, quorum liberali appoſitione, mixtione ſanitatem reſtituit amiſſam, quam perfectiſſimo partu conſtituerat. Qui non ſanatur anni legitime conſtituti reuolutione & humoris qui fuerat in vitio recurſu, nec vlla propha ſi morbum fouet, non humorum, ſed temperamenti & ſubſtantiæ vitio laborat, quod emendandum periodo longiori, vixque niſi ætatis decurſu, phlegmatis mixtione, meatuum reſeratione & libera fuliginum eruptione. Homo quinque annorum ſeptenariis ad vitam progreditur, triplici ſeptenario omnium perfectione functus, natura feriari nequit, neque proficere, neque in eodem ſtatu permanere, ſupereſt ruat in deterius, æquali periodo procliuis ad interitum marceſcit; licet hinc ſanitates, morbos & mortes prædicere. Septenarius omnium dotes continet, triadon triade potentiſſimè detrahit, duplici tetrade profuſè adiicit, triade cum tetrade iunctis vtrumque molitur. O ter quaterque beati, quibus ternarii viribus detrahitur, quod exceſſu lædit, quaternarii munere quod deficit adiicitur. Ternarii περιζόντα propter vnius humoris exceſſum, quaternarius vnitate contraria reprimit: & ad paritatem reuocat. Quæuis excretio ſalutis aut generationis alicuius eſt principium, at περιζοῖς diebus fiunt excretiones, ideo περιζοὶ dies excretiui, γόνιμοι, & ſalutis ægrorum parentes. Tractionis è ventriculo paribus, & excretionis imparibus neceſſaria conſecutio, ſed quò morbus ab inuaſione remotior tractio diuturnior, & minor appoſitio, extenuata iam dudum natura lente reficit. Omnis mutatio fit inter priuantia quæ tribus abſoluitur: vel inter contraria quatuor elementa, ſubiecta, quorum nexu cuncta continentur, ipſaque ſanitas criſeων terminus horum iuſtâ compoſitione, in motu ſeptenarii nulla vis, at criſis eſt motus, quod criticum motiuum eſt. Sol quatuor tempeſtatibus omnia molitur, & ſingulos motus dirigit, quæ maiori periodorum numero perficiuntur, fiunt harum dependentiâ, & repetitione. Sicque criſis perficitur illis numeris periodorum, terminorum, ſubiectorum.

Ergo ſeptenarius non eſt vi propria criticus.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS TARDY Lingonenſis, A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Mercier.	*M. Petrus Richer.*	*M. Franciſcus des François.*
M. Claudius Guerin.	*M. Mathurinus Denyau, Sch. Prof.*	*M. Ioannes du Cledat.*
M. Petrus Yuelin.	*M. Franciſcus le Vignon.*	*M. Claudius Quiquebeuf.*